



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

X. In quo formaliter consistat actualis reuelatio Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

SECTIO X.

In quo formaliter consistat actualis
reuelatio Dei.

193

Quid sit hæc
actualis re-
uelatio Dei
propter quod
credimus.

Diximus, obiectum formale partialis fidei esse reuelationem Dei: non erit abs re breuiter inquirere, quid sit hæc actualis reuelatio Dei, propter quam credimus. Suppono autem ex dictis, duplicem esse hanc reuelationem: alteram mediatam: alteram immediatam. Mediatam est, qua Deus nobis nunc aliquo modo reuelat sua mysteria mediante prædicatione, & instructione aliorum hominum. Nam licet hæc ipsa instructio sit respectu nostri organo valde mediato, quo aliquo modo loquatur nobis, nimirum loquutione, & doctrina aliorum hominum. Immediata vero est, qua Deus immediatè sine alio medio loquitur alicui, ut loquutus est Prophetis, & sanctis viris. De hac ergo immediata reuelatione, & loquutione Dei potest dubitari, in quo formaliter consistit: & postea ex ipsa facile erit iudicare, quid dicendum sit de essentia reuelationis mediatæ.

194

Loquutio
revelatio
Dei an sit
ipsa infusio
internæ ha-
bitus fidei.
Prima sen-
tentia.

Aliqui dicunt, loquutionem, & testificationem Dei, esse ipsam infusionem internam habitus fidei. Ita Canus de locis Theologicis, lib. 2. cap. 8. in solut. 4. argum. 5. his vero tribus Bases in presenti §. decisio auctoris, conclusio 6. Hoc tamen communiter reicitur, & merito, quia ille, qui credit, habet pro motiuo ex parte obiecti reuelationem, & testificationem Dei ad credendum; non tamen habet pro obiecto ipsum habitum fidei, nec allicitur, aut mouetur obiectiue ab ipso habitu, ut constat, non enim experimur habitum, nec habitus est obiectum, sed virtus ex parte potentie ad eliciendum assensum.

Fundamen-
tum illius
sententia.

Hæc sententia habet pro se fundamentum alicuius ponderis. Probat in primis ex illo 1. Ion. 5. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se: ergo habet in se ipsam testificationem Dei, sed non habet in se nisi habitum, ergo ipse habitus est testificatio Dei. Respondetur, fideles habere in se testimonium Dei; hoc est rem testificatam siue vitam, & salutem à Deo promissam ut explicat noster Salmeron ibi tom. 14. disp. 3. 1. vel aliter dici potest habere in se testimonium Dei, id est acceptare, & possidere obiectiue per intellectum testimonium Dei, ut explicat Bellar. tom. 3. lib. 3. de iustificacione c. 9. responsione ad 13. testimonium.

195

Probat deinde ratione, quia sicut se habet naturale lumen intellectus circa prima principia, ita lumen fidei respectu credibilium: sed lumen naturale non solum concurrat efficienter, sed etiam illuminat veritatem obiecti, ut videri possit, ergo similiter lumen fidei, &c. Respondetur, lumen naturale intellectus solum concurrere efficienter ad actum: neque enim assentimur principiis propter ipsum lumen habendo illud ex parte obiecti. Similiter neque assentimur reuelationis propter habitum fidei, habendo illum ex parte obiecti. Alioquin primus actus fidei erit ab auxilio sine habitu haberet diuersum obiectum formale. Mirro alia leuiora argumenta, quæ facile possint dissolui.

P. Suarez tom. 1. in. 3. part. disp. 27. sect. 2. §. sed occurrit secunda difficultas, docet in loquutione Dei ad extra, duos actus interuenire productos in intellectu audientis. Primus est directus, quo cognoscit mysterium reuelatum, v. g. Verum locum natum esse. Secundus est, quo cognoscit illum primum actum esse loquutionem Dei, & vocem illius: penetrando naturam illius actus, qui enuntiativus est vox Dei, quare qui illum actum cognoscit, eo ipso scit eam esse Dei loquutionem, Hanc doctrinam existitio veram esse posse in aliquo casu, non tamen semper. Quare opere pretium erit breuiter attingere aliqua circa loquutionem in communi, ut ex his deducamus à priori naturam, & quidditatem loquutionis diuinæ.

In primis ergo notandum, de essentia loquutionis non solum esse, quod per illam, qui loquitur, aperiat audienti rem dictam, sed etiam quod obiter manifestet conceptum internum, quem habet de illo obiecto. Probatur, quia plures sunt causæ naturales, quæ in nobis generant notitiam alicuius obiecti, & tamen non ideo loquuntur nobis proprie sed solum metaphoricè, sicut celi dicuntur loqui, & narrant gloriam Dei. item Angelus concurrens per modum obiecti cum intellectu alterius Angeli ad visionem suæ substantiæ, non loquitur per illam notitiam sui, quæ in alio generat: & denique Deus potest sine concursu obiecti concurrere cum meo intellectu ad cognitionem aliquam, sicut modò concurrens ad cognitionem primorum principiorum cum speciebus; & tamen sicut per cognitionem primi principij modo de facto non loquitur Deus proprie, ita nec in illo casu loqueretur, quia nimirum non ordinatur illa cognitio ad manifestandum obiectum, propterea in intellectu loquentis, sed obiectum secundum se. Dixi non ordinatur, quia licet ex cognitione alicuius obiecti possum arguitur colligere illud esse in mente diuinæ, non sufficit, ut dicatur Deus loqui: alioquin Deus loquitur mihi quæcumque euidenter cognosco, nam eo ipso possum colligere illa obiecta esse in mente diuinæ. Requiritur ergo ad loquutionem quod ordinetur per se, & immediatè ad manifestandam alicui mentem loquentis. Ex quo fit, ut non sit idem loqui alicui, & loqui coram aliquo: possum enim ego licet loqui coram excommunicato, non tamen cum excommunicato, quod discrimen nascitur ex eo, quod verba illa non ordinantur à me, ad aperiendam illi, sed alteram mentem. Vnde obiter infero, reuelationem latius patere, quam loquutionem Dei: nam quæ homo cognosceret per sententiam infusam, aliquo modo diceretur scire per reuelationem: non tamen esset loquutio, quia Deus non ordinat illa sententiam immediatè ad manifestandam suam mentem. At verò ad obiectum fidei requiritur loquutio Dei, quia fundatur in veracitate Dei: non est autem veracitas, nisi in loquutione: requiritur ergo ad actum fidei, quod Deus ipse credenti, vel alteri loquutus fuerit mediatè, vel immediatè; dicimus tamen communiter reuelationem esse obiectum formale fidei, quia loquimur de reuelatione, non in tota sua latitudine, sed prout conuertitur cum testificatione.

Notandum secundò auditionem sæpe sæpius distingui à loquutione: auditio enim est perceptio, qua audiens percipit obiectum dictum, & quod illud obiectum sit in mente loquentis: quare in rigore loquendo, contingere potest, quod

quod aliquis loquatur, & non audiat; quia licet communiter dicatur loquutionem esse manifestationem proprii conceptus, seu excitationem speciei in mente audientis: non debet intelligi de excitatione actuali in actu secundo, sed de causa proxima ad excitandum, nisi impediatur: quod licet pertineat ad quaestionem de nomine, an illa sit dicenda loquutio; debemus tamen observare communem modum loquendi: nam quando Sacerdos penitentem absolvit, verè loquitur cum illo; & tamen frequenter penitens non audit, & frequentius non intelligit quid dicat Sacerdos: ergo non est idem loqui, & audiri ab eo cum quo loquimur.

Hinc infero primò, pro materia de Angelis, iuxta sententiam probabiliorum, quæ docet Angelos inuicem loqui, quatenus ad nutum unus Deus concurret cum intellectu alterius ad cognoscendum id quod alter vult manifestare: dicendum esse loquutionem formaliter consistere in illo actu voluntatis, quo Angelus loquens ordinat obiectum ad alterum Angelum, auditionem verò esse perceptionem alterius Angelis, quare posset saltem miraculosè, vel fortè etiam pro arbitrio ipsius Angeli, cui sit loquutio, loquente Michaelè cum Gabriele, Gabriel non audire: itaque loquutio Michaelis est actus voluntatis, qui exprimitur per has voces (*fac hoc*): vel *ego cras veniam ad te*; nam licet communiter dicatur hos esse actus intellectus, siue intimantis, siue iudicantis, & loquentis de actibus voluntatis; probabilius tamen existimo esse actus voluntatis, alioquin non posset unus Angelus alterum decipere, & mentiri, quia si loquutio esset iudiciu quo Angelus loquens cognosceret actum propriæ voluntatis, sicut ipse non posset iudicare contra id, quod in se experitur, ita ut non posset dicere alteri quod in mente non haberet: potest autem fallere, & falsò promittere: ut nos ipsi experimur, quando interius volumus cum Deo, vel Angelis loqui: possumus enim interius etiam dicere, *ego faciam, ego orabo, teinabo, &c.* & tamen non habere propositum implendi, præsertim si aliquis conciperet, Deum posse decipi per ignorantiam, frequenter posset huiusmodi loquutionem elicere; ergo illa loquutio non est iudicium affirmans voluntatem præsentem; sed potius est volitio ordinans illud obiectum ad audientem, qui actus, licet non sit amor, vel odium obiecti; est tamen quasi amor, quo volumus illud obiectum manifestari audienti ut cognitum à nobis. De hoc tamen latius in materia de Angelis.

Infero secundò, ex illis duobus actibus intellectus, quos ponebat Suarez *ubi supra*, quando loquitur Deus, quorum unus sit cognitio obiecti, & aliter sit cognitio reflexa prioris, primum quidem esse completè loquutionem Dei, quia licet per illum formaliter non cognoscatur obiectum esse in mente divina; ille tamen actus excitat sufficienter mentem audientis ad secundum actum, quo cognoscatur illud obiectum esse in mente Dei. Loquutio autem ut supra dixi, non est, quæ formaliter audio, vel cognosco rem, ut in mente loquentis, sed quæ excitat in mente cognitionem, ut constet in loquutione humana externa. Aduerte tamen, illum primum actum, licet sit loquutio, esse tamen simul saltem partialiter auditionem: cum enim auditio (ut supra dixi) sit perceptio, quæ audiens forma-

Card. de Lugo de Virtute Fidei Divina.

liter cognoscit obiectum dictum & quod obiectum sit in mente loquentis; hinc est, illum priorem actum esse partialiter auditionem, quia per illum formaliter cognoscitur obiectum dictum: itaque auditio integra complebitur ex illo primo actu, & ex secundo, quo cognosco, obiectum illud fuisse in mente Dei loquentis, loquutio vero sufficienter saluatur in priori cognitione.

Petes, quomodo per secundum actum possim cognoscere obiectum illud fuisse in mente Dei nisi videam intuitivè ipsum Deum. Respondeo, primam cognitionem posse esse talis naturæ, ut postulet non produci à Deo, nisi ex fine manifestandi suam mentem, & ordinandi illud obiectum ad alterum; quare, qui cognoscit naturam & entitatem illius actus, cognoscat etiam, productum esse à Deo ex tali intentione, & fine manifestandi suam mentem, sicut, qui cognoscit vocem externam, cognoscit etiam proferri ex fine manifestandi propriam mentem, quia ex placito hominum habent voces non proferri nisi cum hac intentione.

Ex dictis de loquutione, inferitur Tertio quid dicendum sit de ipso verbo: cum enim omnis loquutio inferat verbum; postquam diximus, quid sit formaliter ipsa loquutio, facile erit designare, in quo consistat formaliter verbum. Etenim loquendo de loquutione, non qua sibi, sed qua cum aliis aliquis loquitur (propterea agimus in præsentia) verbum est id, quod à loquente producit ad representandum utrumque, scilicet obiectum dictum, & quod obiectum sit in mente loquentis: utrumque enim representat instrumentaliter vox humana. Ex quo fit, verbum in loquutione Angelica non esse cognitionem Angeli loquentis, vel audientis; sed illum actum voluntatis, quo ordinat loquens obiectum ad alium: illa enim est vox Angelica, quæ clamat Angelus, & quam nos etiam experimur, quando ad Deum, vel Angelum clamamus aliquid postulantes, vel narrantes: nam illa postulatio vel narratio non est assensus, vel iudicium (ut supra vidimus) cum possit coniungi cum voluntate decipiendi, sed est ordinatio voluntatis dirigentis obiectum ad alterum: quod autem ille actus sit verbum, quo alteri loquimur, facile probatur, quia habet se omnino sicut vox externa in ordine ad manifestandum obiectum, nec aliud poterit assignari quod sit verbum: non cognitio Angeli audientis, tum quia illa magis est auditio, & perceptio verbi quam verbum: tum etiam quia etiam si Angelus non audiret, adhuc præcederet loquutio (ut supra dixi) & per consequens Verbum: quia omnis loquutio est productio alius verbi. Deinde verbum non potest esse cognitio ipsius loquentis, quia potest contingere, quod loquens loquatur contra id quod cognoscit ut dictum est, & tamen producit verbum, licet falsum illius obiecti: restat ergo, ut ille actus voluntatis, sit verbum, & vox unus Angeli ad alium.

Denique ex dictis constat quid sit formaliter verbum Dei loquentis: nam si sermo sit de loquutione Dei ad intra; verbum est id, quod producit Pater æternus ad representandum ipsi filio obiecta, quæ Pater habet in mente: quod verbum non est aliud, quam ipse filius genitus de quo latè in materia de Trinitate. Si vero sermo sit de loquutione Dei ad extra, quæ loquitur im-

E 2 mediare

mediatè cum Angelis, vel hominibus: hæc loquutio potest dupliciter esse. Primo itayt Deus formet aliquam vocem sue sensibilem, siue intellectualem in audiente, quæ quidem vox non sit cognitio, sed obiectum cognitionis, & in qua cognoscatur obiectum dictum, vt in mente diuina? & tunc hæc vox, quæcumque illa sit, erit verbum, sicut vox vnius hominis ad alium. Qualis autem sit natura illius vocis; non possumus perfectè explicare; non tamè apparet repugnantia in possibilitate qualitatibus, quæ per modum obiecti repræsentent instrumentaliter rem dictam à Deo. Secundo potest Deus loqui efficiendo immediatè in mète audientis cognitionem directam ipsius obiecti dicti, ex intentione manifestandi suam mentem, & tunc illa prima cognitio directæ producta in audiente erit propriè verbum Dei; quia illa formaliter repræsentat obiectum, & instrumentaliter repræsentat, quod illud obiectum sit in mente Dei loquentis, vt supra explicatum est.

204. Vltimò inferitur, idem cum proportionem dicendum esse de loquutione mediata, qua Deus mihi hic, & nunc proponit mysteria fidei credenda: hæc enim loquutio est ipsa mysterij propositio mihi facta à prælati, & magistris cum talibus circumstantiis, &c. hæc enim propositio talis mihi apparet, vt in ipsa tanquam in Dei vocè mediata possum cognoscere, Deum esse auctorem huius doctrinæ, & Deum per hoc medium velle mihi suam mentem communicare: in quo consistit ratio loquutionis.

205. Hæc olim dixeram pro explicanda essentia loquutionis, quantum ad nostrum institutum sufficiebat. Postea hæc latius prosequutus est P. Hurtadus *disput. 1. 3. vbi de loquutione in communi*, & de variis loquutionum generibus tractat, eandemque sententiam circa loquutionem Angelicam amplexus est, qui adiri potest: ego enim ab iis quæstionibus generalibus ex professo tractandis abstinere, quia non sunt huius loci: aliqua tamen breuiter obseruo ex iis, in quibus non placet doctrina Hurtadi in prædicto loco.

206. Primo itaque non placet, quod dicta *disp. 1. 3. sect. 1. §. 5.* dicit requiri in loquente voluntatem, qua velit, quod audiens percipiat eius vocem, atque etiam rem dictam per ipsam vocem. Hoc, inquam, non approbo, si intelligatur vniuersaliter de omni loquutione, & non solum de humana, nec coheret cum iis, quæ idem Auctor nobiscum affirmat postea *sect. 2. §. 6. 5.* vbi dicit, Angelum loqui cum alio Angelo per voluntatem, qua suum conceptum ad illum dirigit, hoc est, qua vult, secretæ suæ percipi ab audiente: qua voluntate existente, Deus infundit speciem Angelo audienti, vt percipiat voluntatem illam Angeli loquentis, quæ voluntas cognita ducit audientem in cognitionem rei, quam Angelus loquitur, sicut vox nostra ducit in cognitionem rei dictæ per vocem. Ex hac autem doctrina sequitur, non semper requiri in loquente voluntatem, qua velit suam vocem percipi, & cognosci ab audiente, sed sufficere, quod velit suum conceptum & mentem ab audiente percipi. Probat, quia Angelus loquens per se solum vult secretæ suæ percipi, non ergo vult quod percipiat etiam vox: nam vox Angeli, vel est ipsam voluntatem, qua vult suum conceptum percipi ab audiente, vt ego opinor, & explicui in tractatu de Angelis; vel est ipse actus cognitio-

nis, quo audiens percipit illam voluntatem, vt indicat Hurtadus *dicto §. 6. 5.* dicent voluntatem loquentis esse eius linguam; cognitionem vero, qua audiens eam percipit, esse formalem loquutionem; & simul auditionem, in quo non immerito, quia fortasse hic Auctor non negat, voluntatem ipsam esse vocem, & loquutionem instrumentalem iuxta id, quod latius explicauerat *sect. 1. subsect. 8.* siue ergo vox sit voluntas loquentis, siue cognitio audientis, non est necesse quod velit Angelus loquens, illam percipi ab audiente. Nam voluntas loquentis non habet se ipsam pro obiecto, nec vult se ipsam percipi ab audiente, sed vult mentem suam, & conceptum de tali obiecto percipi ab audiente: qua voluntate posita, Deus infundit speciem audienti repræsentantem directè illam voluntatem, quæ cognita ducit in cognitionem conceptus, & mentis loquentis circa tale obiectum, siue verè siue aliquando falsò significans, quando loquens mentitur: non ergo necesse est velle, quod audiens cognoscat ipsam vocem. Si verò dicas, vocem esse ipsam cognitionem, qua audiens percipit voluntatem loquentis; procedit idem argumentum: nam Angelus loquens voluntate illa solum vult, quod audiens cognoscat suam mentem de tali obiecto, non verò vult, quod reflexè cognoscat illam suam cognitionem, qua percipit mentem loquentis. Nec id necessarium est ad finem loquentis; si enim audiens percipit directè voluntatem loquentis, & ex ea ducitur ad cognoscendam eius mentem circa tale obiectum, quam loquens voluit audienti consistere, sufficienter audiens venit in notitiam mentis loquentis sine alia cognitione reflexa prioris cognitionis: non ergo necesse est quod loquens velit audientem cognoscere reflexè cognitionem directam: imò nec apparet possibile, quod voluntas illa, qua Angelus loquitur, terminetur ad illam cognitionem reflexam, vt ad obiectum volitum: quia si id requireretur, esset, vt Angelus audiens cognitionem reflexam cognosceret, suam cognitionem directam fuisse ortam ex voluntate loquentis, atque ita cognosceret loquutionem sub ratione loquutionis: hoc autem non potest voluntas illa, qua Angelus loquitur, velle, nisi habeat se ipsam pro obiecto: non enim potest eadem voluntas velle, quod audiens sciat suam cognitionem directam ortam esse ab illa voluntate, nisi terminetur ad eandem voluntatem saltem in obliquo, quod difficile est, vt constet.

Neque obstant fundamenta, quibus ille auctor *dicto §. 5.* motus fuit ad id asserendum: fundantur enim in vocis æquiuocatione, vel in principio falso. Primò namque dicit, necessarium esse voluntatem loquentis, qua velit percipi ab audiente: quæ propositio æquiuoca est; si enim sensus sit, requiri, quod loquens velit percipi suam mentem ab audiente, vera est, si verò sensus sit, debere velle, quod vox ipsa & loquutio percipiantur ab audiente, falsa est: non est enim necesse id velle semper, vt aliquis loquatur. Secundo probat, quia loqui est significare ad placitum, ergo qui loquitur, vult significare ad placitum, quia qui loquitur, vult loqui. Hoc tamen, si vniuersaliter intelligatur de omni loquutione falsum est: quia loquutio Angelica non significat ad placitum, sed naturaliter, vt suppono, & concedit etiam ille auctor, falsum etiam est, omnem, qui loquitur, debere velle loqui: Angelus enim loquens, non est necesse, quod velit reflexè loqui, sed sufficit, quod velit percipi

percipi suam mentem ab audiente qua voluntate eo ipso loquitur in actu excito, & percipitur, licet possit etiam reflexe velle hanc voluntatem per aliam reflexam, per quam velit loqui, ut dixi in tractatu de Angelis. Ideo tamen dixi supra, hanc doctrinam non mihi probari, si intelligatur de omni loquutione præscindendo ab Angelica & humana. Si enim restringatur ad solam humanam quæ sit per voces sensibiles significantes ad placitum, verum puto, quod requiratur in loquente voluntas, qua velit voces ab audiente percipi. Non enim loquitur per hoc solum, quod velit suam mentem ab audiente percipi, nisi apponat ad hunc finem medium aliquod, nempe voces, vel nuntius instrumentaliter significantes suam mentem: cum autem voces non sint vitales ad eum finem, nisi ab audiente percipiantur, consequens est, vt volens voces ad manifestandam suam mentem, velit eas percipi ab audiente, alioquin non veller eas, vt vitales ad eum finem, atque ideo non veller ex eo fine, sed casu, quod non sufficeret ad loquutionem humanam, quæ debet ordinari ad audientem ex ordinatione loquentis, Angelus autem non indiget alio medio: quia eo ipso, quod velit mentem suam ab audiente percipi, debetur audienti species huius voluntatis, qua in actu exercito ordinata fuit mens loquentis ad audientem.

Secundò obseruari velim, quod P. Hurtadus §9. proposita sibi obiectione, quod loquens amphibologicè, & æquiuocè non vult ab audiente percipi; & tamen loquitur: respondit, fortasse ad vitandum æquiuocationem absque mendatio, requiriti voluntatem formalem loquentis, vt percipiat ab audiente in vero sensu. Hoc tamen absolute, & absque dubitatione affirmandum censco, & docui olim in hac materia: dicam inferius *disput. 4. sect. 1.* vbi de his æquiuocationibus sermo erit, an Deo, vel hominibus licitæ sint. Vbi videbimus, quomodo stet simul illæ duæ voluntates in loquente, altera, qua desiderat, audiendum non intelligere verum sensum, altera, qua vult proferre verba ad hoc, vt audiens possit verum sensum percipere: sine qua voluntate non loqueretur verum, cum non proferret ea verba, ad significandum id, quod habet in mente sed contrarium.

Tertiò displicet, quod prædictus Auctor eadem *disput. 1. §. 26.* & sequentibus late probare contendit contra Vasquez, non requiri in loquente voluntatem formalem, qua velit suam cognitionem, seu iudicium de obiecto percipi ab audiente, sed sufficere voluntatem virtuales, qua prævidens, voces habere hunc effectum ducendi audientem ad noticiam mentis, cognitionis loquentis, velit proferre voces, licet id non velit ex eo fine, sed solum vt ducant audientem in cognitionem obiecti à se cogniti. Hoc, inquam, falsum existimo, quia loquutio essentialiter tendit ad communicandam scientiam, & noticiam propriam alteri: quare immediate, & directè voces significant conceptum, & mentem loquentis, mediata verò & consequenter res, quarum noticia dari intenditur, quare, qui dicit tibi, *Petrus est in foro*, immediate significat suam mentem, quia iudicat, Petrum esse in foro, & consequenter dat tibi medium cognoscendi rem ipsam, nempe Petrum esse in foro. Cum enim non possimus mentem ipsam nostram, & scientiam transferre in audientem, vtinur vocibus, quibus mediis mentem

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

nostram, & noticiam aliquo modo transferamus, de quo dixi in Logica, atque etiam in *rom. de penitentia disput. 23. sect. 4.* ideoque Pater æternus propriissime loquitur Filio, & loquendo generat ipsum, quia communicat ei ipsam eandem scientiam rerum omnium, quam ipse habet; nos verò, quia eandem scientiam communicare non possumus, vtinur instrumento vocum, quibus manifestemus iudicium, & mentem nostram de rebus: cum ergo loquutio ad hanc communicationem scientiæ ordinetur, repugnat aliquem velle formare voces ad finem loquutionis, quin velit audientem venire in noticiam scientiæ suæ: alioquin nõ veller proferre voces ad vsum suum, ad quem sunt institutæ, sed ad alium, & per consequens non loqueretur.

Potè loquutionem asserere ordinationem mentis propriæ ad audientem, nec sufficere intentionem manifestandi res ipsas, probari potest in primis; quia Deus non loquitur nobis propriè, quando produci in nobis speciem obiectorum, & eorum noticiam, siue id faciat, vt causa vniuersalis, siue etiam vt causa particularis, imò licet immitteret alicui speciem erroris, Deus nec loqueretur, nec mentiretur, quia non id faceret ad manifestandam suam mentem. Vnde, quando Deus alicui dat scientiam infusam, vel species supernaturales & infusas multarum rerum, reuera intendit, quod homo accipiat noticiam illorum obiectorum, tum quia qui vult formam in subiecto, vult effectum formalem; tum etiam, quia eo fine Deus infundit species illas, vel scientiam, vt homo sciat ea omnia obiecta. Non tamen loquitur Deus quia totum id ordinatur, vt homo sciat obiecta, non vt communicetur ei scientia Dei, neque species illæ habent ex se immediate significare illam ordinationem scientiæ diuinæ ad accipientem species: in hoc ergo differt loquutio vt loquutio ab omnibus aliis actionibus, quibus generari potest scientia in alio; quia loquutio ordinatur immediate ad communicationem scientiæ propriæ, & significat audienti immediate hanc ordinationem.

Varie responsiones ad hoc colligi possunt ex Hurtado, qui, vt verum fatear, satis obscure loquitur in tota illa *sect. 1.* & vix potest eius sensus percipi. Primò ergo videtur respondere, Deum non loqui producendo species, vel cognitiones nostras, quia illa productio non procedit ex cognitione, quam Deus habet de obiectis, sed hæc cognitio concomitanter se habet ad productionem illarum specierum, vel cognitionum; loquutio verò debet procedere ex cognitione obiecti, quæ est in loquente; quam cognitionem aliquando videtur iudicare, quod debeat, esse iudicium, vt §. 20. & 23. aliquando quod solum debeat esse apprehensio, vt §. 21. 22. & alibi. Hæc tamen responsio non satisfacit. Primò, quia sæpe in productione specierum, vel scientiæ, quam Deus producit in homine, se habet concomitanter, sed antecedenter, & vt causa cognitio, quam Deus habet de obiectis: quando, v. g. Deus infundit alicui species, vel scientiam infusam supernaturalem de rebus futuris, qua homo eas vt futuras euidenter cognoscat, necesse est, quod prius Deus sciat res illas esse futuras, alioquin non posset dare speciem supernaturalem illius, vt futuræ; & qui postea cognosceret reflexè illam speciem, vel scientiam infusam à Deo, eo ipso veniret in cognitionem scientiæ, quam Deus

E 3 habet

213
Loquutio affert ordinationem mentis propriam ad audientem.

211

habet de tali re scire, sine qua scientia, non posset infundere, in scientiam, & tamen tunc Deus non loquitur propriè, quamvis dici possit reuelare ea obiecta, latius enim patet reuelatio, quam loquutio, v. supra diximus, & faceret idem Hurtado eadem disp. 13. §. 105.

212

Secundo, impugnatur eadem responsio, quia si loquutio debet procedere à loquente ex cognitione obiecti, & hoc significat ipsa loquutio; hoc debet intelligi, vel de apprehensione sola, vel etiam de assensu loquentis circa veritatem obiecti. Si ergo intelligitur de sola apprehensione obiecti, quæ debet præcedere in loquente; hoc non est proprium loquutionis: nam Deus etiam produciens species, vel cognitiones nostras, antequam velit eas producere, debet cognoscere essentiam talium specierum, vel cognitionum, & per consequens earum obiecta, quæ essentialiter repræsentant: ecce productio illa procedit à Deo ex obiecti cognitione non concomitanti, sed antecedenti ut causa: & tamen Deus tunc non loquitur. Si vero dicas loquutionem debere procedere ex cognitione obiecti, quia loquens iudicat obiectum ita esse, ut per voces significatur: peto, an requiratur iudicium illud, ut causa, sine qua non potest fieri loquutio, an solum ut obiectum, quod loquutio debet significare. Primum dici non potest, quia ille, qui mentitur, loquitur propriè, & loquutio illa non procedit à iudicio loquentis de existentia obiecti. Si vero dicas secundum, hoc est, quod intendimus, loquutionem habere hoc speciale, ut repræsentet iudicium loquentis de veritate obiecti dicti, quod iudicium, quando datur, loquutio est vera, quando non datur, est falsa, sed est propriè loquutio. Si autem iudicium illud est obiectum loquutionis, consequens est, ut loquens ordinet loquutionem ad manifestandum iudicium illud. Sicut enim non potest loqui, quin velit manifestare res, quia loquutio ordinatur ad illas per modum obiecti manifestandas, & qui vult loqui, vult uti signo, ut signo, & per consequens significare obiectum signi; sic non potest velle loqui, quin velit ut loquutione ad significandum iudicium proprium de re dicta, cum iudicium illud significetur ut obiectum per loquutionem. Non enim potest significari solum ut causa, cum iudicium illud non sit causa requisita ad loquendum, sed sola apprehensio, cum constet posse loqui, & de facto loqui cum etiam, qui non habet iudicium de veritate obiecti.

213

Dices, iudicium illud esse causam requisitam, non ut quis loquatur, sed ut loquatur verè; unde quia loquens obligationem habet loquendi verum, ex eius loquutione audientes colligunt præcedere in ipso iudicium de veritate obiecti, & hæc potest esse secunda responsio, quæ colligi videtur non clarè ex iis, quæ prædictus Auctor tradit §. 20. Hæc tamen responsio impugnari potest, quia ex hac ipsa obligatione loquendi iuxta iudicium de veritate obiecti colligitur, iudicium illud non solum esse causam, sed obiectum loquutionis. Si enim non esset obiectum, nec loquens per voces significat, se ita iudicare, non apparet, unde sit obligatio conformandi verba cum mente. Nam hoc solum, quod est voces significare res, non videtur eam obligationem asserere; potest enim aliquis sine peccato simulare vultum mæstum, ut tristitiam internam fingat, & licet id faciat, ut alij putent eum mæ-

stum esse, non mentitur, nec peccat, quia non interponit auctoritatem, & fidem suam: peccaret tamen, si verbis id testaretur; quia nimirum verba non solum significant rem ipsam, sed mentem loquentis, qui verbis interponit fidem & auctoritatem suam, fidem etiam ab auditoribus exigens, quare sicut fidelitas obligat ad conformanda facta verbis, quia promittens exigit spem ab eo, cui promittit, datus illi fidem promissionis; sic affirmans debet conformare verba menti, quia exigit ab audiente fidem. Non ergo solum intendit, quod audiens veniat in cognitionem rei dictæ, sed etiam testem se adhibet affirmans id ita apud se verum existimari. Conformari potest, quia veracitas obligat immediate non quidem ad dicendam rem, sicut est à parte rei, sed propterea est in mente loquentis: qui autem loquitur, & affirmat aliquid, eo ipso intendit significare, se cum veritate loqui, ergo vult significare conformitatem loquutionis cum mente sua, & per consequens intendit mentem suam cognosci ab audientibus, & eius conformitatem cum verbis prolatis.

Responderi potest ex Hurtado §. 28. & 29. loquentem intendere quidem exprimere rem, propterea est in mente: ad hoc tamen non requiritur, quod faciat reflexionem supra suum iudicium, sed solum attendere ad eius obiectum, nam si mentis obiectum est, Petrum esse in foro, & ego vocibus exprimo, Petrum esse in foro, eo ipso affirmo rem propterea est in mente, quamvis nihil dicam de meo iudicio, nec reflexe illud cognoscam sed solum eius obiectum. Et hæc potest esse tertia responsio, quam confirmat, quia qui affirmat id quod est à parte rei, affirmat rem, propterea est in mente ergo qui affirmat id, quod iudicat, eo ipso affirmat rem, propterea est in mente, absque alia intentione reflexa affirmandi conformitatem. Item pictor pingit faciem hominis, prout est in exemplari, quamvis non intendat depingere, ut eam cognoscit in exemplari reduplicative, sed solum specificative id quod videt in exemplari. Quando etiam loquimur, volumus loqui, & loquimur propterea volumus; non tamen cognoscimus reflexe conformitatem loquutionis cum voluntate loquendi. Possimus ergo loqui rem, propterea est in mente, licet non significemus reflexe, nec cognoscamus ipsam conformitatem verborum cum iudicio mentis.

Hoc tamen ex dictis impugnari potest primo retorquendo eadem exempla, nam qui vult affirmare rem, propterea est à parte rei, debet attendere ad statum, quem habet à parte rei: ergo, qui vult affirmare rem, propterea est in mente debet attendere ad statum, quem habet in mente: esse autem in mente est terminare iudicium mentis, quæ est denominatio extrinseca proveniens à tali iudicio mentis: ergo debet reflectere supra ipsum iudicium mentis. Pictor item, cui impositum est, ut depingat faciem conformem exemplari, debet attendere ad picturam prout est in exemplari, alioquin non erit certus de conformitate, nisi videat in tabula ipsa exemplaris taliter esse: ergo si volumus describere ab exemplari nostræ mentis, debemus reflectere supra mentem nostram. Unde secundo impugnatur à priori, quia loquens ex veracitate obligatur ad procurandam conformitatem verborum cum mente: non potest autem procurare conformitatem, nisi attendendo

Loquutio repræsentat iudicium loquentis de veritate obiecti dicti.

ad statum obiecti in mente, prout terminat actū iudicii: ergo non potest intendere hanc conformitatem sine reflexione, & comparatione significationis verborum cum expresse mentali eiusdem obiecti.

116. Hinc facile solui possunt, quæ Auctor ille affert ad probandum, non esse necesse, quod loquens velit, ab audiente percipi eius iudicium de obiecto dicto: procedunt enim ex suppositione falsa. Primo arguit §. 25. & 26. quia non est ponenda ea voluntas sine necessitate: nulla est autem talis necessitas, quia voces non significant conceptus directè, sed res ipsas, & aliunde voluntas loquendi est solum voluntas manifestandi rem conceptam, quod fieri potest sine voluntate manifestandi conceptum nostrum. Si enim amicum in periculo existentem mones dicendo, *periculum imminet*, poteris habere pro fine solum, quod amicus cognoscat periculum, quod quidem obtines, etiam si non dicas ei, *ego cognosco te esse in periculo*, & licet non velis, ut ipse cognoscat te hoc cognoscere.

117. Respondetur ex dictis, falso supponit, quod voces non significant directè conceptus, sed res. Falso etiam supponitur, quod possit aliquis vel le loqui, & non advertere ad suos conceptus, nec velle, quod hi ab audiente cognoscantur. Loqui enim, ut diximus, non est solum significare rem aliquam; nam qui fingit mœsticiam vultus, vult significare mœsticiam in corde, & tamen non loquitur: quia loqui est significare iudicium de re ipsa, ut interposita sua auctoritate exigit fidem ab audiente. Vnde falsum etiam est, quod dicens amico, *periculum imminet*, solum velit, amicum periculum agnoscere. Fateor, id solum intendi tanquam finem, ad quem assumitur medium loquutionis, ut in auctoritate, & iudicio monentis, tanquam in medio cognito amicus agnoscat periculum. Sicut si ad eundem finem loquens iuraret periculum esse; tunc certe non vult solum quod amicus cognoscat periculum, sed ad hunc finem vult quod agnoscat iurandum, quo Deus affertur in testem. Sic etiam sine iuramento affirmans, adducit se ipsum in testem, & in suo testimonio, ut in medio cognito vult ab amico agnosci periculum imminens. Aliud esset, si non loqueretur, sed aliter moneret, v.g. aperiendo fenestram ut in lumine videret amicus foueam, vel insidias paratas: tunc enim solum intendit cognosci periculum in se, & non in suo testimonio, tanquam in medio.

118. Arguit secundò §. 30. quia prolatio vocis est sicut scriptio: possumus autem per scriptum loqui sine voluntate, quod percipiatur noster conceptus, nam si formes characteres exprimentes rem, prout eam concipis, absque voluntate, ut ab aliis legantur, adhuc, qui eos legerit, concipiet rem ut à te fuit concepta. Adde, si formasti characteres volens manifestare legenti rem scriptam, sine vlla tamen cognitione reflexa tui iudicii de hac re: iam verè loqueris, quia voluisti manifestare rem, prout sentis, & ita eam scribis. Respondetur facillè, scribentem posse tripliciter se habere: primò, si nullo modo intendat, quod alij veniant in noticiam rei per scripturam, sed exercendi calami gratia scribi rem, quam sentit, & tunc nullo modo loquitur, cum nolit alicui quidquam significare. Secundo potuit intendere, quod alij in eam scripturam incidentes eam legant, & credant rem scriptam; non tamen id si-

gnificat, se illis loqui, vel scribere, sed sibi, & ad sui memoriam: sicut si ad eundem finem secum in secreto voce loqueretur solus, ut alij eum observantes, crederent, quæ apud se dicit: & tunc etiam non loquitur aliis, sed fingit se sibi loqui, ut alij decipiantur; ut enim aliis loquatur, debet ad illos sermonem dirigere, vel scripturam in communi, vel in particulari. Sic, qui fingit se scribere Petro, ut Ioannes; interceptis litteris, credat, & decipiat, non est loquutus Ioanni, nec mentitus est, quia nemini loquutus est: iam enim apererat Petro litteras esse fictas. Tertio denique scribens potest velle loqui cum legentibus, quicumque illi sint: & tunc falso supponitur, quod non velit eos agnoscere iudicium suum de re illa, si enim id non vult, non loquitur illis, ut constat ex supradictis.

Arguit tertio §. 31. quia si per possibile, vel impossibile verba quis faciat significantia obiectum, quale est in sua mente cum sola voluntate manifestandi obiectum illud, quin cognoscat cognitionem suam, vel velit eam manifestare, manifestabit audienti obiectum illud ut ab ipso fuit cognitum, ergo loquitur: & audiens verè à loquente didicit obiectum illud. Respondetur repugnare, quod velit aliquis aliis verba facere, ut eis manifestet obiectum, quin velit ab iis cognosci suum iudicium de re ipsa; medium enim non potest eligi ad finem, nisi quatenus vtile est: verba autem alius facta non manifestant rem, nisi quatenus significat, loquentem eam testificari, & interponere suam auctoritatem: ergo eo ipso loquens vult suam fidem, & iudicium ab audientibus cognosci. Si autem per impossibile loqueretur sine hac voluntate, sequeretur utrumque: loqueretur enim, & non loqueretur, sicut si ponas per impossibile loqui sine voluntate manifestandi rem, de qua loquitur.

Ex dictis infero, displicere mihi quartò in prædicto Auctore, quod dicit *eadem disp. 13 §. 36.* ubi distinguit loqui alicui, & loqui cum aliquo, unde dicit, eum, qui coram aliis loquitur cum Petro, loqui etiam aliis, licet non loquatur cum illis. Hoc, inquam, non placet, quia dicere coram aliis famulo, ut emat pisces, non est loqui aliis, sed soli famulo: nam loqui, ut sæpè diximus, est ordinare meam mentem ad alium: tunc autem dominus ad solum famulum mentem suam ordinat per verba: quæ licet ab aliis intelligi possint, id non est ex ordinatione loquentis nec in rigore sermonis etiam vulgaris loquitur excommunicato, qui coram illo dicit aliis, ut eum vitent, quia excommunicatus est. Omitto alia, quæ ibidem miscet ille Auctor; quia ad propositum nostrum non pertinent, quale est illud, quod probat §. 38. nos non loqui propriè cum Deo per voces externas, imò addit §. 41. nec per loquutionem mentalem, quod quidem maiori examine indigeret, sed pertinet propriè ad tractatum de oratione.

Illud tamen ex illo Auctore placet, quod notat *ibidem*, & probat *sect. 4.* loquutionem Dei externam, quando loquitur homini voce etiam sensibili, & ipsammet vocem sensibilem esse obiectum formale fidei, quia illam vox est loquutio & revelatio. Placet etiam quod dicit *sect. 5. & sect. 6 §. 104.* Deum communiter non loqui homini viatori, nisi vel vocibus, aut signis externis, vel saltem speciebus vocum aut signorum sensibilium impressis in phantasia, & producentibus actum phantasiæ, & apprehensionem intel-

219

220

221

Deus quomodo communiter loquitur homini viatori.

lectus earundem vocum vel signorum, sicut si essent præsentis voces illæ, aut signa: illa enim alia loquutio Dei per puram intellectionem rerum insensibilium magis pertinet ad Angelos, vel anima separatas, licet possit etiam aliquando Deus homini viatori modo illo loqui.

222
Deus an possit alicui immediate loqui, non imprimendo in eum cognitionem obiecti reuelati?

Ut tamen ad nostrum institutum reuertamur circa reuelationem Dei immediatam, dixi, doctrinam illam Suarezij initio adductam veram esse posse in aliquo casu, non tamen esse vniuersaliter veram. Nam in vniuersum loquendo, falsum est, Deum non posse alicui immediate loqui, nisi imprimendo in eum cognitionem obiecti, quod loquitur. In primis enim si Deus per voces externa loquatur cum Propheta, prout loquutus est cum Moyse in rubo, Deus non loquitur imprimendo se solo immediate Prophetæ cognitionem obiecti, quod loquitur, sed per voces, quæ significant, illud obiectum esse in mente Dei, & ordinari à Deo ad Prophetam ad communicandam ei suam mentem. Deinde etiam si Deus non loquatur per voces externas, sed formando in phantasia imagines vel vocum, vel rerum; potest id facere, absque eo quod imprimat in mente Prophetæ iudicium rei reuelatæ: imò & licet loquatur per reuelationes merè intellectuales, potest id facere: quia adhuc Propheta potest manere liber ad credendum obiectum sibi reuelatum, imò, & ad credendum, an illa sit reuelatio Dei, vel non: & de facto ita mansisse saltem communiter loquendo libros Prophetas, nec cognouisse euidenter illam esse reuelationem Dei docet idem Suarez *disp. 8. de fide sect. 5.* Vbi longè aliter reuelationem immediatam Dei explicat, quam in dicto loco tertiæ partis, & merito. Nam si Deus reuelans Prophetæ infunderet ei primo loco cognitionem obiecti reuelati, non remaneret locus fidei in Propheta circa mysterium illud; quia ex reuelatione euidenti non deducitur conclusio fidei, sed clara, ut videbimus *disp. 2.* Quare reuelatio illa debet incipere ab apprehensione talis obiecti, vel vocum, aut signorum illud significantium, quæ tamen talis sit; ut Propheta illam in se ipso percipiens possit prudenter sibi imperare assensum obscurum, quod credat, illam esse loquutionem Dei, & ideo etiam credat verum esse obiectum reuelatum propter illud testimonium Dei. Sicut nos audientes vocem Petri, cognoscimus aliquando clarè, aliquando etiam quando à longè, & in obscuro loquitur, obscurè, illam, esse vocem Petri, & inde mouemur ad credendum verum esse quod dicit. Sic ergo vox, & loquutio Dei, ut relinquat locum fidei in Propheta, non debet esse iudicium de re ipsa reuelata impressa à Deo, sed assimilari debet loquutioni nostræ, quæ significat mentem loquentis & ducit in notitiam obiecti dicti à loquente.

223

Dixi tamen, posse aliquando veram esse illam doctrinam: non enim videtur repugnare, quod Deus loquens alicui det illi immediate notitiam claram ipsius obiecti, quæ notitia talis sit, ut cognita reflexè ab audiente, cognoscat ordinatam esse ex se ad hoc, ut per illam Deus communicaret ei suam mentem, atque ideo erit propriè loquutio Dei: imò saltem, si non sit cognitio euidenter valde perfecta de obiecto reuelato, cum qua fortasse non potest esse fides de eodem obiecto (de quo dicemus *disp. sequenti*) possit deferuire ad fidem de obiecto reuelato: possit enim obscurè solum cognosci ab habente illum actum, quod ille

esset loquutio Dei, licet euidenter cognoscat obiectum quare tunc credens illam esse loquutionem Dei, possit ab illa formaliter moueri ad fidem credendum obiectum reuelatum, propter illud testimonium Dei, atque ideo firmius crederet obiectum reuelatum propter illud motum, quam ante assentiretur cognitione euidenti sibi impressa. Quamuis enim fides non possit credere obiectum reuelatum propter reuelationem claram: illa tamen non esset reuelatio clara, veruelatio, sed obscura, quia quamuis clarè manifestaret suum obiectum, non constaret clarè, illam esse reuelationem Dei, sed obscurè, & sub ea ratione moueret ad fidem eiusdem obiecti.

Denique addo, posse è contra Deum loqui aliqui immediate per loquutionem, aut notitiam talem, qua audiens cognoscat euidenter, Deum ipsi loqui, non tamen cognoscat immediate obiectum reuelatum, sed huius veritatem inferat ex reuelatione Dei euidenter nota. Sicut nobis euidenter constat communiter de loquutione Petri, quem audimus, non tamen cognoscimus immediate veritatem obiecti, quod loquitur, sed eam inferimus ex testimonio Petri. Sic possit solum cognosci euidenter reuelatio Dei testificantis tale obiectum, & tunc per discursum formalem, vel virtualem possit cognosci veritas obiecti reuelati: non tamen per fidem, quia veritas illa deducta ex reuelatione euidenter cognita, non crederetur prout sic obscurè, sed euidenter, ut videbimus *disp. 2.*

SECTIO XI.

Utrum sufficiat reuelatio priuata ad obiectum formale fidei.

Diximus, reuelationem Dei esse obiectum formale parziale fidei: quærimus, an nominatione reuelationis Dei intelligatur solum reuelatio publica & communis, an etiam priuata. Priuatam autem vocamus, quam aliquæ priuata personæ habent de rebus, quæ ad se pertinentibus & quæ ab ecclesia non proponuntur omnibus fidelibus.

Prima sententia negat, pertinere ad obiectum formale nostræ fidei priuatas reuelationes. Ita Caiet. in *presenti quest. 5. art. 3.* Scotus lib. 3. de *natura & gratia c. 11.* & in *Apolog. contra Cathar. c. 5.* Canus lib. 12. de *locis c. 3.* Valentia in *presenti disp. 1. quest. 1. puncto 1. §. 5. diffinitio 5.* Bañes in *presenti dub. 3.* & alij. Auctores huius sententiæ diuiduntur: nam alij dicunt ad obiectum fidei pertinere eas solum reuelationes, quæ sunt personis publicis; & quasi capitibus religionis: Alij discrimen reddunt ad res reuelatas, & dicunt, eas solum reuelationes pertinere, quæ sunt de rebus ad pietatem, & bonum commune conducentibus, Alij denique eas omnes quæ ad Deum, & christianam doctrinam pertinent, non quæ de aliis rebus extraneis hinc inde Loca in *presenti disp. 7.*

Secunda sententia communior iam docet, omnem reuelationem Dei sufficienter propositam pertinere ad obiectum formale nostræ fidei siue priuata sit, siue publicè ab ecclesia proposita nam licet priuatam non teneantur fideles omnes communiter credere, tenetur tamen credere ille, cui sit, & sufficienter proponitur, eodem habitu fidei,